

tio, non obscurum est postulari fidem, quae et hanc consolationem amplectitur, et omnibus partibus doctrinae a Deo traditae assentitur. Cum autem mens statuit comminationem legis esse veram, oritur timor Dei et quia cum fide coniuncta est laetitia, orta ex agnitione misericordiae, beneficiorum et praesentiae Dei, existit in corde dilectio. Postea ut fidei cognata est spes. Sic timori vicinae virtutes sunt, humilitas et patientia, harum virtutum hae sunt descrip- 5 tiones:

[10:] Vera noticia Dei est Deum sic agnoscere, sicut se patefecit, eundemque a commentitijs numinibus discernere, nec aliud de essentia Dei aut de voluntate aut de caeteris articulis fidei asseuerare, quam quod ipse tradidit in scriptis propheticis et apostolicis. Fides est noticia, qua firmo assensu amplectimur totam doctrinam a Deo traditam ecclesiae et in hac etiam 10 promissionem reconciliationis, quam apprehendentes accipimus remissionem peccatorum fiducia Filij Dei et hac fiducia acquiescentes accedimus ad Deum et nos recipi et exaudiri statuimus. Dilectio Dei est subiwcere se Deo et facere mandata eius cum quadam laetitia, quae oritur a fide apprehendente misericordiam Dei propter Filium promissam. Spes est expectatio vitae aeternae propter Filium Dei certa et expectatio auxilij et mitigationis calamitatum in hac vita iuxta consilium Dei.^{r-r} Timor Dei filialis est expauescere agnitione irae Dei aduersus peccatum et simul erigi fiducia misericordiae, ne in pauore deficiamus a Deo. Humilitas est vere timere Deum et agnoscere propriam infirmitatem et tamen in [11:] fide obediare vocationi et expectare a Deo auxilium et liberationem, nec appetere maiora quam pro vocatione, nec suis viribus tribuere euentus salutares, nec despicere alios, per quos Deus 15 etiam utiliora gerere potest. Patientia est obediare Deo in tolerandis aduersis, ita ut non faciamus aliquid contra mandata Dei, nec Deo irascamur, sed fide agnoscamus eum nobis proprium esse et expectemus auxilium, mitigationem aut liberationem et hac fide et spe dolorem leniamus.

^{r-r} statuimus. Spes est expectatio vitae aeternae propter Filium Dei certa et expectatio auxilij et mitigationis calamitatum in hac vita iuxta consilium Dei. Dilectio Dei est subiwcere se Deo et facere mandata eius cum quadam laetitia, quae oritur a fide apprehendente misericordiam Dei propter Filium promissam.: A, D, E, F, G.